



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Ad pietatis & misericordiæ opera: D. Cypriani Exhortatio. xiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Si verò istud non fecisti: vel quod secundo loco licet, ag-  
 gredere: nimirum relinque illum filiis tuis coheredem.  
 Sed sunt quidam adeò miseri ac deplorandi, ut cum ne-  
 que filios habeant, istud facere non sustineant tamen: sed  
 parasitis potius adulatoribusq; aut similibus, sua distri-  
 buenda curent, quam Christo: qui tot illos beneficiis ad-  
 fecit. Quam igitur veniam sibi parant, qui ultra id,  
 quòd Christum dum viuerent nò paucunt: neq; etiam,  
 cum ad ipsum iam abituri sunt, vel de pecuniis illis,  
 quarum ultra domini non sunt, aliquid illi, vel modicum,  
 largiri volunt: sed adeò inimicè, adeòq; hostiliter se ha-  
 bent, ut nec de iis rebus, quarum usu iam destituntur, ei  
 contribuunt? Te verò Deus tuorum dominum ita con-  
 stituit, ut quibus quæque conueniant, dispicias, edicasq;  
 de bonis tuis: ac quæ domum tuam concernunt, disponas.  
 Quam igitur excusationem habebis, si quando post hanc  
 acceptam ab eo gratiam, beneficentiam istam prodide-  
 ris: & velut ex diametro fidei tuæ maioribus contrarius  
 fueris. Illi quippe viuentes etiam vendiderunt omnia,  
 atque ad pedes Apostolorum detulerunt: tu verò nec  
 moriens aliquam tuorum honorum partem pauperibus  
 tribuis.

Sermone de  
 Eleemosyna.

Ad Pietatis & Misericordiæ opera, D. Cypriani Ex-  
 hortatio: asseuerans iustitiæ & misericordiæ ope-  
 ribus, pietatem Diuinam mortalibus subuenire.

CAPVT  
 XIII.

**D**ominus noster Iesus Christus monens & osten-  
 dens, vnde mundi & purgati esse possimus: addi-  
 dit eleemosynas esse faciendas, & quia seruare querit,  
 quos magno redemit, post Baptismi gratiam sordidatos,  
 docet denuo posse purgari. Agnoscamus itaque Diuina  
 indulgentiæ munus salubre: & emundandis purgandis-  
 que peccatis nostris, qui sine aliqua conscientie vulnere  
 esse

Luc. II.

esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra  
 curemus. Mandat Esaiæ Deus: Exclama, inquit, in  
 fortitudine, & noli parcere: sicut tuba exalta vocem  
 tuam: & annuncia plebi meæ peccata eorum, & domui  
 Iacob facinora eorum. Et cum peccata eis sua exprobra-  
 ri precepisset: cumq; eorum facinora pleno indignationis  
 impetu protulisset, dixissetq; eos, nec si orationibus & ie-  
 iuniis uterentur, satisfacere pro delictis posse: nec si in  
 cilicio & cinere voluerentur, iram Dei posse lenire: in  
 nouissima tamen parte demonstrans solis Deum eleemo-  
 synis posse placari, addidit dicens: Frange esurienti pa-  
 nem tuum: & egenos sine tecto induc in domum tuam. Si  
 videris nudum, vesti eum: & domesticos seminis tui non  
 despicias. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum,  
 & vestimenta tua cito orientur: & præteribit ante te  
 iustitia tua, & claritas Dei circumdabit te. Tunc ex-  
 clamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris,  
 dicit tibi: Ecce adsum. Et in Psalmis Spiritus sanctus  
 dicit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem:  
 in die mala liberabit illum Deus. Quorum præcepto-  
 rum memor Daniel, cum Rex Nabuchodonosor aduerso  
 somnioterritus æstuarer, pro auertendis malis, ac diui-  
 na ope impetranda, remedium dedit, dicens: Rex consi-  
 lium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis re-  
 dime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum: &  
 erit Deus parcens peccatis tuis, Raphaël quoque ange-  
 lus dicit: Bona est Oratio cum Ieiunio & Elemosyna:  
 quia elemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.

Esa. 58.

Psal. 40.

Dan. 4.

Tobiz 12.

In Diuites auaros, Basilij Mag. Expostulatio.

Serm. 2. in  
Diuites au-  
ros.

**R**eminiscere parumper diei illius, in qua cum gloria  
 Christi apparebit aduentus: quando qui bene fece-  
 runt, in resurrectionem vitæ: qui verò malè egerunt, in  
 resur-

CAPVT

XV.